



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis  
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad  
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In  
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

**Penzinger, Sebastian Heinrich**

**Solisbaci, 1698**

Disc. XIX. Fidelissimum hanc veneror Matrem. Maria materno amore  
constanter addicta, ac fidelissima Patrona est, generi humano.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

# DISCURSUS XIX.

*Sancta Maria Fidelissima Virgo est.*

Exordium.

**T**Ametsi inter Deiparam Virginem, & S. Josephum, verum intercesserit matrimonium, indubitatum tamen est, & angelica declaratione patet, eam superveniente Spiritu S., & Virtute Altissimi obveniente fecundari ad felicem, mundoque salutarem partum debuisse: cum verò solemni ritu receptum sit, quòd Sponsa dotem suam sponso adferat, quæri non incongruè poterit, quænam sit dos illa, quam Virgo beata, Spiritus Sancti nomen minus, quàm S. Josephi beatissima Sponsa, Sponso suo obvenitùs præparata, secum subintulit? respondet S. Petrus Chrysologus serm. 140. Fidem fuisse Virginis dotem, quam illa consensum sollicitanti Angelo, cælo referendam tradidit. *Ad Virginem Deus aligerum portitorem mittit, nam ut arrham, dotem suscipit, qui fert Gratiam, fidem refert, et tradit munera virtutis.* confirmat S. Thomas de Villanova Conc. 1. de Annunt. *Audisti legationem, da fidem, et accipe prolem.* hinc sancta quoque Mater Ecclesia, hisce verbis frequenter utitur: *Beata es, Virgo Maria! qua Gabrielis Archangeli dictis credidisti:* Hæc præstantissima dos Virginis fidei in supremo gradu occupavit Mariam, quæ omni tempore Deo ac homini fidelissima Virgo extitit. Sententias SS. Patrum de super consulamus. *Tu enim es fidelissima columba Noe, qua inter summum Deum, et mundum diluvio spirituali submersis, mediatrix fidelissima extitisti: corvus infidelis, columba fidelis fuit; sic et Eva infidelis, Maria verò fidelissima invenit: Eva infidelissima, mediatrix perditionis, Maria verò fidelissima mediatrix salutis fuit.* Seraphicè discurret S. Bonaventura in Spec. Lect. 9. *Crudelis nimirum Eva, per quam serpens*

SS. Patres.

S. Bonaventura.



tiguus, pestiferum etiam ipsi viro virus infudit; sed fidelis Maria, qua salutis antidotum, & viris & mulieribus propinavit: illa enim ministra seductionis, hac propitiationis; illa suggestit pravariationem, hac iniecit redemptionem. sermocinatur S. Bernardus. S. Bernardus. Serm. super signum magnum. O felix inobedientia! O insignis gratia! qua dum fidem humiliter dedit, cæli in se opificem incorporavit. exclamat magnum Ecclesiæ lumen Augustinus. Tom. 10. Serm. 2. de Annunt. O præclarissima sanctissima Mulieris hujus constantia! O fides inconcussa super humilitatis petram fundata! plenam oraculo angelico Maria præbuit fidem, sciens omnia Deum posse cum vult. coincidit S. Laurentius Justinianus. Serm. de Annunt. B. V. Si cut lumen Solis nunquam deficit, sic sola Virgo, sola stetit in fide, in Passione: unde Cant. 7. Statura tua, quæ scilicet in fide stetit, assimilata est palma, quæ virorem foliorum nunquam amittit, sic tu nec fidei virtutem. alloquitur Mariam doctissimus Card. Hugo. in Psalm. 18. tandem definit S. Thomas à Villâ Novâ. Conc. 1. de Annunt. De fide illius, quidquid dici potest, pro merito minus est. Hoc tamen non obstante, quamvis pro meritis Virginis condignè loqui simus impares, attamen infidelitatis notam incurere nolentes, pro pietate gratiam Spiritus S. implorabimus, quò Virginem fide dotatam ac ditatam, sponsam ejus fidelissimam, profundis Conceptibus humiliter venerari, atque ejus intercessione in fide vivâ firmari mereamur.

CONCEPTUS I.

Servum bonum ac fidelem dicimus, qui etiam minima Domini sui diligenter custodit, ancillam fidelem, quæ nullum terræ granum, perire facillè finit, talis ancilla fidelis in sacrilitteris Ruth fuit, quæ relictas à metentibus spicas diligentissimè conquisitas, in horreum fideliter collegit, Booz enim cum messoribus instituit, ut spicas relinquerent. Collebat spicas post terga metentium. Ruth. cap. 2. Ecce Ancilla Domini.

Confirmatio, seu Deductio.

f 3

Domini.



*Domini. signat se ipsam Virgo Maria. Lucæ 1. cap. An non fidelissima hæc Ancilla fuit, quando tot peccatorum animas tanquam deperditas Ecclesiæ spicas, in horreum æternæ beatitudinis collegit? Conceptus hic est S. Bonaventuræ, in Spec. B. V. lect. 5. Gratia Maria colligit ad misericordiam, colligit ad Ecclesiam malos: hoc bene signatum est in gratiâ, quam in colligendis spicis à messoribus derelictis, Ruth invenerat, quando dixit ad Booz: inveni gratiam in oculis Domini mei: Ruth interpretatur videns, vel festinans, & signat beatam Virginem, qua verè videns in contemplatione, & bene festinans scit in actione, videns etiam nostram miseriam est, & festinans ad impendendam suam misericordiam. ut nimirum famulos Dei fideles efficiat, ancilla Domini fidelissima.*

## CONCEPTUS II.

Visionem terribilem vidit Joannes in suâ Apocalypsi cap. Sedes posita erat in cælo, & super sedem sedens, & circum in circuitu sedis, & de throno procedebant fulgura, & voces tonitura, & in conspectu sedis tanquam mare. Extremum judicii diem visione hæc designari, plusquam certum est. Christus enim ipse prædixit Matth. 19. cap. In regeneratione sedebit Filius hominis in sede majestatis suæ. & Luc. 21. cap. Erunt signa in Sole, & lunâ, & stellis, virtutes calorum movebuntur. Sedes ergo majestatem judicis; tonitrua, voces, & fulgura vindicem Christi judicantis iram representant: sed quid Iris in circuitu sedis? quid mare in conspectu sedis intendit iris seu arcus in nubibus cæli signum fœderis, reconciliationis, & amicitie est, inter Deum & hominem. Dicitur Deus Noë: hoc est, signum fœderis, quod constitui, inter me & omnem carnem super terram. Gen. 9. cap. quotiescunque viderem hanc etiam iratus Deus aspexerit, recordari promissum fœderis sui, & aquis diluvii hominem ultra non perdet. Iris placans iratum judicem, Maria virgo est. inquit Richardus à S. Laurentio, lib. 6. de laud. V. Iris hæc in circuitu sedis, &



nim ubi æterni Judicis majestatem iniquus peccator offendit, thronum filii sui misericordiæ Mater supplicando circumire non desinit, donec iram placare judicis, & gratiam obtinere peccatori mereatur. *Maria quasi mare gratiarum.* scribit S. Antoninus. part. 4. tit. 15. cap. 4. §. 2. Sicut enim mare hujus mundi omnes aquas ad se colligit, ut eas in mille partes terræ salubriter refundat, sic gratiarum *mare* Virgo Maria *in conspectu sedis* Filii sui supplex, omnes meritorum suorum aquas congregat, ut eas in mille peccatores effundere, infernales flammæ restinguere, suisque amatoribus, omnibus & singulis, salutem æternam valeat obtinere. Amicus in necessitate fidelis ille revera est, qui pauperulo mortis reo præstat opem, advocatum agit apud judicem, & dum jamjam sententia mortis ferenda esset, vitam obtinet, ac libertatem: dies iræ, dies illa, dies magna, & amara valde, dies extremi est judicii, in quâ finalis peccatori processus ab irato Judice terminabitur; in die illa sancti Apostoli sedebunt in sedibus judicantium, non advocantes, sed judicantes duodecim tribus Israël, sententiam peccatori daram à Judice approbantes, nemo erit Sanctorum in die illâ, qui intercedat; peccatori tum temporis ab omni homine derelicto, & in extremâ necessitate constituto, in ultimo adhuc quasi momento, advocatam aget potentissimam, apud Filium Virgo Dei Mater, & dum mortis æternæ damnandus esset, vitam peccatori implorat æternam. Doctissimè Idiota in Prologo de Contemplat. B. V. *sapè, quos Justitia Filii potest damnare, Matris misericordia liberat, quia salus nostra in manu illius est.* in necessitate igitur homini Patrona potentissima & Advocata fidelissima est Virgo Maria.

### CONCEPTUS III.

Sponsam suam Mariam Virginem, Spiritus S. in Canticis columbam nominat. *Una est columba mea.* Cant. 6. cap. Quænam est illa columbarum proprietas adeò laudabilis, ut Virginem Deiparam mereatur repræsentare? Doctissimus Abbas.



bas Rupertus lib. 3. in Cantica, columbam à fidelitate commendat, quam suis non solum, sed & alienis exhibet pullos, quos magnâ sollicitudine nutrit, granum ex ore pullis communicat, & seipsam morti exponit, ut à vulture pullos tuos, eorumque vitam conservare fidelissima queat. Pari modo Virgo Dei Mater, peccatores à se alienos, intercessione sua apud Filium potentissimâ nutrit, non granum tantum, sed & integrum acervum tritici, id est JESUM Christum in virginali suo utero, de Spiritu S. conceptum porrigit peccatori, eoque animam, ne in æternum pereat, à vulture infernali apud verissimum Judicem, meritorum suorum infinitudine protegit, ac defendit. Sed verba Abbatis notatu digna percipiamus. *Pullos alienos columba nutrit, & nos, qui eramus alieni secundum carnem à genere tuo, ecce vivimus tuis meritis.* Accipiam nunc Sponsus: *Oculi tui columbarum.* Cant. 1. cap. nunc oculus compassionis, & charitatis erga miseros. Virgo fidelissima.

#### CONCEPTUS IV.

Experientia quotidiana nos docet, filios in terris, in patris sui sentientes ad matrem, quamprimùm etiam stent fugere: quænam est hujus refugii causa? Matrum in filiis fidelitas, quæ prolem ab irâ patris efficaciter tueri solent. *Mater* titulo Mariam Virginem repetitis vicibus Ecclesia salubriter Catholica, sicut enim Christi corporalis Mater est, ita membrorum Christi quoque spiritualis est Mater. Observatio S. Bonaventuræ. in Speculo B. V. lect. 3. *Duo autem Filii Mariæ sunt, homo Deus, & homo purus; unum enim corporalem alterum spiritualiter Mater est Maria.* & Guilielmus Parisiensis. apud Martinum Delrium. in cap. 4. Cant. sect. 1. *Salvatore omnium JESU, plurimos Maria peperit ad salutem pariendo vitam, multos peperit ad vitam: eo ipso, quod Mater est Capitis, multorum membrorum Mater est: Mater Christi Mater est membrorum Christi.* Quemadmodum ergo



matres, ab irâ patris, filios fideliter tuentur, ita etiam beatissima Virgo, pro miseris peccatoribus interpellare Patrem celestem, eidemque pœnitentes reconciliare non desinit. Consolatè S. Bernardus. serm. super signum magnum. *Deus miser, ignis consumens est; quidni vereatur peccator accedere, ne quemadmodum fluit cera à facie ignis, sic pereat ipse à facie Dei? jam itaq; nec ipsa mulier benedicta in mulieribus, videbitur otiosa, invenietur equidem locus ejus in hac reconciliatio- ne; opus est enim mediatore ad Mediatorem istum, nec alter nobis utilior, quàm Maria. Mater nostra fidelissima.*

### CONCEPTUS V.

Interessata hominum corda, quorum affectus magis in bona proximi, quàm in ipsum hominem tendit, tantùm effecere, ut pro tempore in terris nullus, vel saltem exiguus, amicorum fidelium sit numerus: quid ergo requirit mundus, ut amicus fidelis quis inveniatur? qui in aperto ac evidenti periculo proximi sui, non est Petrus à longè, ab amico suo non fugit, eum non derelinquit, sed adjuvat, ac præstat opem, veri amici munus agit; qui dum fortuna perit, auxiliator adest, media juvandi obsequiosè offert, amicus fidelis censi debet. Sed quis est hic, & laudabimus eum? amicis omnibus tempore pestis fugientibus, Maria pestiferos consolata, buffones aperuit, vulnera ligavit: morbos incurabiles, ubi de ægroto medicus desperavit, patientem dereliquit, virgo sanavit: prægnantibus, consilio & auxilio humano destitutis, sancta Dei Genitrix præsto fuit: morientibus, quibus consanguinei terga verterunt, Maria auxiliatrix apparuit: ab orbe universo derelictos, in necessitate protexit, de periculis levavit, pro peccatoribus maximis, inter quos Theophilus, Virgo benedicta intercessit, pauperrimarum in purgatorio animarum nullatenus obliviscitur, sed ut docet Dionysius Carthusianus. Sermon. 1. de Assumpt. in Festo Nativitatis Christi & Paschatis, purgatorium gratiosissimè visitat, atque ex eo innumeras liberat animas, easque secum in cœlos adducit. Te- stem



stem præmillibus agat Richardus à S. Laurentio. lib. 4. de laud. B. V. Legitur in Maria miraculis, quòd multos de sua damnatione jam certos, multos aquis profocatos, multos ex improbitate mortuos, liberavit, qui dum viverent, ipsius Patrocinio se commendaverant, multos, qui sine pœnitentiâ decesserant in mortali, ab ipsis diaboli faucibus potenter eripuit, & ut possint agere pœnitentiâ, ad vitam reduxit: Ita namq; ingeniosa est, & subtilis ad saluationem peccatorum, sicut diabolus ingeniosus est & subtilis ad damnationem eorum. Sicut ergo diabolus homini inimicus est, & infidelis, sic eidem homini Maria Virgo amantissima est, & fidelissima.

## Epilogus.

In tot periculis constituti quotidianis, inermes inter tres hostes visibiles, & invisibiles, diu noctuque salutis incerti, tot peccatis sive venialibus, sive etiam mortalibus obnoxii, ad fidelissimam Patronam & Advocatam Mariam Virginem adduci nos sinamus, à S. Ildephonso. lib. de Virginitate. B. V. cap. 4. Veni mecum ad hanc Virginem, ne sine hac properet ad gehennam: veni, abscondamur sub velamento virtutis, ne in duaris confusione sicut diploide: veni confiteamur, egredieris iuventutis, & ignorantia mea, & tu delicta sacrilegum operum tui, ne revelent cœli iniquitates tuas: veni, humiliter veritate Confessionis, & laudis eius, ne terra consurgat adversum te, asserens, tanti sceleris se tuam perfidiam sustinuisse. Amen.

*Quæ regit in cœlis, miseris est Virgo fidelis,*

*Pœnas peccati non sinit ultra pati.*

*Nam sibi constantem, redamat pia Mater*

*amantem*

*Si colis, inclamans, dona reponit amantem*

